UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Schola Canonica Seu Universum Jus Canonicum Nova Methodo Digestum

Continens Librum Tertium Decretalium. Librum Quartum Decretalium. Librum Quintum Decretalium.

Sannig, Bernhard

Nürnberg, Anno MDCXCII.

C. III. Quid de permutatione in Ordine S. Francisci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98793

Visual Library

cleſiæ; uti patet ex *eod. cap.* imò probabiliter etiam ſufficit utilitas, ſeu commodum ipſarum perſonarum permutantium; dummodo indirectè ſaltem, & conſecutivè redundet in utilitatem ipſius Eccleſiæ; uti notat Gloſſa, Abbas, Azor. Garc. &c. *Quinta* eſt, ut permutatio inſtituatur requiſito conſenſu Patronorum, ſeu eorum qui jus eligendi vel conferendi, vel præſentandi ad beneficium commutatum habent; uti obſervat Gloſſa, Garcias, &c.

3. Nota ſecundò: permutatio beneficiorum Eccleſiaſticorum cum præfatis conditionibus facta, ſubſiſtit in ſuo robore, etſi tertius adeſſet in diœceſi, qui haberet gratiam expectativam à Papa ad beneficium, quod jam vacat, vel proximè vacaturum eſt; uti conſtat ex *cap. licet unic. hoc tit. in 6.* Niſi permutatio inſtituta fuiſſet in fraudem habentis talem expectativam; nam ſi fraus commiſſa fuiſſet, ipſe expectans poteſt prætendere unum ex permutatis beneficiis, acſi illud vacâſſet per mortem; vel reſignationem; uti colligitur ex *cit. cap.* Et habet Gloſſa Pirh. &c.

4. Nota tertio: communiter omne beneficium Eccleſiaſticum poſſe permutari cum alio; exceptis *ſequenti notab.* afferendis: cum indefinitè beneficiorum Eccleſiaſticorum permutationem inter ſe, ſervatis ſervandis, permittant. Imò & unum cum pluribus & plura cum uno; dummodo illa plura ſint compatibilia; ita ut citra diſpenſationem Apoſtolicam ſimul obtineri valeant; uti advertit Azor. & Garc. Quare permutari poterunt beneficia inæqualia in temporalibus, vel ſpiritualibus annexis; quatenus v. g. unum habet pinguiores redditus; vel annexam dignitatem. Item beneficia manualia, commendata perpetua, penſiones in titulum erectæ, &c. ut habent Suar. Pirh. Azor. &c.

5. Nota quartò: non poſſunt autem commutari beneficia commodata ad tempus: nec beneficia unita alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, vel alteri beneficio: nec beneficia reſervata Papæ authoritate Ordinariorum poſſunt permutari: nec litigioſa cum aliis litigioſis. Nec beneficium cum alio Jure ſpirituali diverſi ordinis v. g. jure patronatûs, aut decimarum permutari poteſt; uti habet Azor Suar. & communis DD. nam Jure Canonico permutatio ſolùm permittitur inter beneficia; non autem eorum cum rebus diverſi ordinis.

CAP. III.

Quid de permutatione in Ordine S. Franciſci.

1. DIco primò: Tametſi Fratres ipſi Minores Obſerv. & Reform. nequeant celebrare contractus formales permutationum rerum Ordinis ſui; poſſunt tamen id præſtare Syndici Apoſtolici Conventuum, in utilitatem eorundem. Ita S. Bernardinus in *opuſc. caſuum propriet.* & communis DD. Primum conſtat ex *cap. 1.* Regulæ, quod aufert à Fratribus Minoribus omnem proprietatem rerum, quam ſupponit contractus permutationis in permutante. Tum ex cap. *Exiit 3. de verb. ſignif. in 6.* Secundum habetur in *eodem cap. 3.* & in Conſtit. General. modernis *cap. 4. §. 1. n. 2.* ubi dicitur; quod *Syndici Apoſtolici tanquam Legitimi Procuratores Apoſtolici, juxta placitum Superiorum, oblata & relicta, expendere, diſtrahere & commutare poſſint pro neceſſitatibus Fratrum.*